Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31633
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Incipit in expositione beati IOB moralium beati GREGORII pape. liber vicesimus tertius. Pars QUINTA.

PREFATIONEM HUIUS OPERIS totiens necessario repeto, quotiens hoc in distinctionem voluminum locutionis mee pausatione succido, ut cum legendi exordium sumitur, prius ipsa memorie lectionis causa renovetur, et tanto robustius surgat doctrine edificium, quanto ex considerata cause origine studiosius ponitur in mente fundamentum. Beatus Iob a Deo soli sibi cognitus in tranquillitate ad nostram noticiam producendus tactus est verbere, ut odorem suarum virtutum tanto latius spargeret, quanto more aromatum melius ex incensione fraglaret. Noverat in bonis pie subditos regere, et a malis districte custodire. Noverat bene uti rebus habitis, sed nesciebatur si patiens permaneret ablatis. Noverat cottidiana Deo pro salute pignorum sacrificia solvere, sed incertum erat si ei gratiarum sacrificium et orbatus immolaret. Ne quod ergo vicii salus tegeret, dignum fuit ut hoc dolor aperiret. Data itaque est contra sanctum virum hosti callido temptandi licentia, qui dum bona eius multis cognita interimere appetiit, etiam bonum patientie quod latebat ostendit, et quem se angustare persequendo credidit, flagellis auctum et in exemplo dilatavit. Nec sine gravi arte exercuit licentiam quam accepit. Nam concussit greges, extinxit famulos, obruit heredes, percussit salutem corporis, et ad intorquendum gravioris iaculum temptationis linguam servavit uxoris, quatenus sancti viri forte ac solidum pectus et per dampna rerum dolor sterneret, et per verba coniugis maledictio perforaret. Sed quot vulnera seviens intulit, tot sancto viro nesciens victorias ministravit. Nam fidelis Dei famulus uno eodemque tempore inter vulnera et verba deprehensus est, dolentem carnem equanimiter pertulit, et desipientem coniugem prudenter increpavit. Antiquus itaque hostis qui vincere in domesticis doluit, protinus exteriora requisivit. Amicos namque eius de locis singulis quasi pro exercenda caritate commovit, eorumque ora sub specie consolationis aperuit, sed per hec iacula increpationis intorsit, que eo durius cor secure audientis infigerent, quo inter ostense et non servate caritatis tenebras impulsa vulnerarent. Post hos quoque ad contumeliam etiam Heliu iunior excitatur, ut tranquillitatem tante mansuetudinis saltem despecta levitas perturbaret etatis. Sed contra antiqui hostis machinam stetit invicta constantia, stetit equanimitas infracta. Nam uno eodemque tempore verbis adversantibus opposuit prudentiam, rebus vitam. Nemo autem sanctum virum quamvis de illo aperte post flagella scriptum sit: in omnibus his non peccavit Iob labiis suis, saltim per modum in contentione amicorum estimet inter verba deliquisse. Sathan quippe temptationem illius expetiit, sed Deus qui hunc laudaverat in se ipso eius intentionem certaminis accepit. Quisquis ergo beatum Iob deliquisse suis sermonibus queritur, quid aliud quam Dominum qui pro illo proposuit perdidisse confitetur? Quia vero antiqui patres fructiferis arboribus similes non solum pulchri sunt per speciem, sed etiam utiles per ubertatem, sic eorum vita pensanda est, ut cum miramur que sit in ruditas in hystoria, inveniamus quanta sit ubertas in allegoria, quatenus cum blandum est quod in foliis redolet, cognoscamus et quam dulce sit quod